



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VIII. Quia non solùm ipsa es mirabiliter in Cœlum assumpta, sed etiam
nobis ad Cœlum præivisti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

tuo voto obsequi: dum spondeas eum opibus non abuturum. Spondet Daniel pro Latomo: & ecce Latomo dum frangit saxa, invenit thesaurum, sed in paupere durus efficitur. B. Virgo sponsorem urget: qui agnovit errorem & deprecatur. Tum Virgo, noli tam facile spondere; illius etiam animam servabo, & opes interea coeperunt evanescere, & rediit Latomo ad primam fortem, & misericordiam. *Bonav. in spec.* Advocata generis humani, Virga quidem, nam in tempore punit, aut nos puniri orat, quos summa felicitas sternit, directionis autem Virgine, quoniam ipsa est Directrix dubitationis nostrae. Direxit certe praeter alios S. Patriarcham nostrum Ignatium, ut est apud *Ribaden*, qui cum opus Constitutionum Societatis nostrae meditaretur, sapientissime solitus est conferre cum Virgine, ei preces, ac sacrificia jam sua, jam aliorum praesentans, quo factum est, ut non raro illi apparente, & lucem conferente, lux ejus fieret lux ad vitam. Caput Virginis ut Carmelus *Cant. 7. S. Thom. in Cant.* Carmelus significat scientiam circumcisionis. Virginis nomen ut aliqui ex Syriaco deducunt, significat Domina. *Cribri* in *Cherico S. Dominici* habetur. Margarita à Sabaudia Montis ferrati Marchioni nupta, gravibus podagrae afficiebatur doloribus, dum pro illis levandis S. Virgini supplicat, audit voluntatis suae esse, ut hanc crucem usque ad obitum perferret. Virgo Domina Cribri in quo Sathanas expetit, ut cribraret Apostolos, & nos aliquando cribrabit, & forte multi in cribrum accepti tunc, cum ei dictum. *Tuam ipsius animam gladius pertransibit, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Expecterat quondam daemone ut monasterium S. Gertrudis cribraret *lib. 4. Just. c. 9.* sed Virgo mandavit Angelorum choro, ut illud custodiret. Quando Daniel cribravit cineres *cap. 14.* super pavementum templi, revelatae sunt multae fraudes, cujus haec vestigia? boni, an mali? quid isti & isti hic?

8. Quia non solum ipsa es mirabiliter in caelum assumpta, sed etiam nobis ad caelum praevivisti.

Narrationem hujus triumphus ordiemur verbis *mellifluis Patria Divi Bernardi, quae Romana Ecclesia in Brev. 21. Aug. lect. 4. ponit*, Tempus loquendi est omni carni, cum assumitur Incarnati Verbi Mater in caelum; nec cessare debet à laudibus, humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in homine: sed de ejus gloria nec silere devotio patitur, nec dignum aliquid sterili concipere cogitatio, aut inerudita locutio potest parturire; hinc est quod & ipsi caelestis curiae Principes in consideratione tantae novitatis clamant non sine admiranda

miratione. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens.* Ascendit hoc modo, quæ 3. *Sabbas in Men. 15. Augusti* ponit. Cum jam jam hora apparet, quâ Deus noster Christus ex animi sententia decreverat Matrem suâ transferre ad Superos, tunc verò per Angelum tribus ante diebus hanc ei migrationem de terra significantem curavit, hoc internuntio utens. Tempus est, inquit quo Matrem meam ad me in coelis fruendum assumam: quare ò Genitrix mea indicium istud hilaris accipe, nec metum, aut sollicitudinem ullam admittite, nunc enim apud me immortalitate poteris. Virgo itineris, ad Filium suscipiendi mox desiderio flagrans, in montem olivarum ascendit, precibus accuratè fundendis intenta: hoc enim solenne jam habuerat, ut in eo monte jugiter orationis studium continuaret. Verùm id loci inopinatum quiddam evenisse tunc perhibent: quippe arbores istæ in monte plantatæ, spontaneo motu inclinârunt se Virgini, planè ceu vivo tantæ Dominæ serviendi affectu, pollerent. Oratione peractâ, domum regreditur Virgo, eamque totam repentè concuti sensit. Tum deindè magnam vim luminum præparat, simulque gratijs agendus Deum venerata, everrendo mox domicilio vacat, lectulumque suum componit, ac denique cuncta sepulturæ idonea in antecessum procurat. Addit *Cedrenus in compendio hist.* Quindecim diebus ante suû obitum cognovit, triduoque ante, ad eam Archangelus venit, palmam portans. Quod ipsum paulò fufius *Metaphrastes orat. de vita & dormit. Virg. cap. 39.* Cum ætate provectâ ad multam senectam pervenisset, & peregrinationis tempus esset præiens, per Angelum se migraturam à Filio edocta est, sicut & antea, quo tempore in ejus ventrem ingressurus erat, nuntiatum illi fuerat. Cum igitur excessûs sui mysterium didicisset, eam rem lætitiæ tantæ, quanta verbis explicari non potest, materiam judicans (quid enim ei suavius evenire poterat, quàm cum Filio suo esse unâ & regnare?) statim jussit plurima domum lumina afferri, idque factum. *Pelbartus lib. 10. p. 1. a. 1. adducit Cosmam Vestitorem ex vitis SS. Colonia editis, qui Cosmas ea quæ narrat, dicit se ab eorum posteris, qui dormitioni Virginis interfuerant, certâ relatione didicisse.* Summa autem narrationis hujus hæc est: Christum per Angelum consuetum, is erat Gabriel, dormitionem suam ei prænuntiâsse, palmam ei misisse per eundem ex paradisi propagine, ad certitudinem victoriæ & incorruptibilitatis. De eadem palma habet & *Barthol. Pisanus de vita, ac laudibus B. Virginis. lib. 5. fructu 7.* Dominus in signum prætatorum, (videlicet consolationis futuræ & finem corruptionis carnis) & recreationis Virginis Matris ramum palmæ de paradiso eidem dirigit, fragrantis singularis & splendoris indicibilis, cujus aspectu recrearetur ad vilum, & ejus odore, quoad oisfactum reficeretur, *Joannes Episc. Thessalon.*

orat. in dormit. SS. Virg. Deipara. Cùm igitur sacratissima & innocentissima Mater Domini & Dei nostri terram naturali fine esset relicta, ante tres dies venit ad eam Gabriel Angelus, dicens: Maria, surge & accipe hanc palmam, quam dedit mihi ille, qui paradisum plantavit, & trade illam Apostolis, ut hanc tenentes hymnos canant ante te. De hac palma *Pelbarus Stellarij lib. II. p. 5. a. 3. cap. 2. ex Cytha Vestitore.* Palma verò illa nimia charitate splendebat, & erat quidem virgæ viriditati consimilis, sed folia ipsius ut stella matutina fulgebant: & ego fateor me vidisse apud quendam Comitum Regium particulam quandam, quæ dicebatur esse de illa palma, & pro certo erat fulgentissima ad modum micantis stellæ, quasi coloris argentei fulgentissimi, cujus intuitus devotionem ingerebat intuitibus.

Pergit S. Sabbas 18. Augusti. Porrò convocat Virgo cognatos, ac vicinos, & unà denuntiat, quid de sua in caelos profectio, ex Dei mandatis ad se per Angelum delatis comperisset, inque suæ contestationis fidem, bravium Divinitatis missum ostendit, palmæ ramum videlicet. Et 15. Augusti. Mulieres intellecto Deiparæ abitum imminere, in tantam omninò complorationem erupere, ut totæ in luctum lachrymasque diffuerent: at ubi paulum à primò doloris ictu se collegerunt; mox, ut ne orbata à Matre sua relinquerentur, orare ceperunt. Tum Virgo non illas modò, sed omnem quoque orbem terrarum, ubi ad Deum migrasset, clementi patrocinio suo protecturam affirmavit: simul alijs quibusdam fomentis solatio plenis vim illam doloris in pectoribus circumstantium mitigavit. Hæc Sancti verba recepit *Græca Ecclesia*, inter libros, qui publicè decantantur, etsi horum etiam aliqua contineat libellus apocryphus, quem non ob hæc, sed ob alias putidas fabellas *Baron. anno 48.* meritò rejicit, ut scripsit *P. Simon uvagneresius in pietate Græcorum.* Sed pergit S. Sabbas *ibidem.* Porrò de duabus tunicis suis negotium dedit, ut ex duabus indigentibus viduis dono traderentur, quas quidem longâ consuetudine cognitæ, alimentis quotidianis adjuverat. His ita compositis vehemens repente tonitru aures percussit, simul ex omni parte terrarum ingens vis nubium præsto fuit, quæ discipulos Christi ad Deiparæ domum quasi quâdam conspiratione adduxerunt. Apparebat inter illos Dionysius quoque Arcopagita, Hierotheus atque Timotheus, ut Antistites intelligentiâ rerum Divinarum illustres; hi omnes cognito qua de causa in unum v. Divinâ collecti fuissent, ad hunc denique modum allocuti sunt Virginem. Te ô Domina hoc in mundo degentem adeo semper avidè vidimus, ut indè non minorem lætitiæ fructum caperemus, quàm si Magister ipse noster, ac Dominus verfaretur nobiscum.

nunc verò tam acerbum de tuo discessu dolorem, quo tandem pacto solabimur?
 Quandoquidem tamen ex Filij tui, Deique decreto ad regnum augustius mundo
 profectioem adornas: gaudemus de providentia Numinis, quam in rebus tuis
 gubernandis usurpat, simul inter loquendum lachrymas ubertim fundebant.
 Tum subjungit S. *Sabbas*. Ad rationem decori pertinebat, ut qui ministri ac spe-
 ctatores Verbi Divini fuissent, etiam Matris, e qua illud incarnatum erat, obdor-
 mitionem præsentem inspicerent, velut ultimum (quod in ea peragendum erat.)
 Mysterium: quo scilicet, non modò Servatorem de terra in cœlum ascendentem
 coram spectarent: verùm etiam de Genitrice ejus ad Superos translata oculatè
 existerent testes. Quapropter omnibus è locis vi quâdam Divinâ, per tot terra-
 rum spatia transportati convenerunt in Syon, & deduxerunt quodammodò Vir-
 ginem ad cœlum ingrediendum properantē. Idem *Ecclesia Romana legit in Breviario*
18. Augusti lect. 6. quam fecit ex Damasc: suam orat. 2. de dormit. B. Virginis. Ex an-
 tiqua accepimus traditione, quòd tempore gloriosæ dormitionis B. Virginis uni-
 versi quidem sancti Apostoli, qui orbem terræ ad salutem gentium peragrabant,
 momento temporis in sublime elati convenerint Jerosolymis, & aderant tunc cum
 Apostolis sanctissimus Timotheus primus Episcopus Ephesiorum, & Dionysius
 Areopagita sicut ipse testatur, in his quæ de B. Hierotheo, (qui ipse quoque tunc
 aderat) scripsit, ad prædictum Timotheum sic dicens: Nam etiam apud ipsos
 à Deo afflatos sacrorum Antistites, quandò nos quoque ut nosti, & multi ex
 sanctis nostris Fratribus ad contuendum corpus, quod vitæ principium dedit, &
 Deum suscepit, convenissemus: aderat autem & Domini Frater Jacobus & Petrus
 suprema, & antiquissima Theologorum Summitas. In eundem sensum scriptum
 reliquit *Juvenalis Jerosolymorum Episcopus in hist. Euthymica lib. 3. cap. 40.* In sancta
 quidem & Divinitus inspirata Scriptura, de decessu sanctæ Deiparæ Mariæ nihil
 traditur: ex antiqua autem & verissima accepimus traditione, quòd tempore
 ejus gloriosæ dormitionis, universi quidem sancti Apostoli, qui orbem terræ ad
 salutem gentium obibant, momento temporis in sublime sublati convenerunt
 Jerosolymis: tunc autem aderant cum Apostolis sanctissimus Timotheus Apосто-
 lus, & primus Episcopus &c.

Sed ipsum S. *Dionysium Areopagitam cap. 3. de Divinis nominibus* audiamus:
 Nam & apud ipsos Divino spiritu plenos Pontifices nostros, cum & nos & pleriq;
 ex sanctis fratribus nostris ad contuendum corpus illud, quod Authorem vitæ
 Deumq; conceperat, convenissemus, aderat autem & Frater Domini Jacobus, & Pe-
 trus supremum Decus, & antiquissimum Theologorum Columna: ubi post in-

ritum placuit, ut infinitè potentem Divinæ virtutis bonitatem Pontifices laudarent. *Laur. Miselli. 6. de B.V. c. 1. 1. ait.* Beatam Virginem morti proximam sacras reliquias, quas apud se conservabat Joanni dedisse, ut fasciam Christi, sindonem Domini, zonam item, velum quod suo cultui dum nuberet deservijt, pectinem, annulum sponsalium, coronam spineâ, & sui capitis velum, capillos & lac uberrum suorum. *Isidorus Thez. Salonicens: ait,* ingressam esse in sepulchro totam figuram purissimi illius corporis. Sed pergit *Ecclesia Greca loco citato ex Scriptore.* At verò illa (Virgo) consolans, ô Amici inquit, atque Discipuli Christi, qui meus est Filius, simul & Deus, nè quæso in luctum convertite lætitiâ meam, sed potius corpus meum ita efferte, prout à me jam jam expirante compositum, cernetis. Hoc ejus sermone finito properavit Paulus ille Divinus: illud nimirum Vas electionis, prævenire morientem officio suo: nam ad Divinæ Matris pedes procumbens, eamque adorantium ritu veneratus, copiosis encomijs palàm affecit. Vale ajebat: ô Genitrix vitæ! vale primaria prædicationis meæ Materia, licet enim Christum in hac vita degentem non viderim, tamen tuus aspectus abundè eam mihi repræsentat. Quid verò alij Apostoli egerint dixerintq; in *Men. 14. Aug. 1. eode 4. 5. 6. s. Joseph. Confess. aperit.* Domus illa, quâ comprehenditur omnia comprehendens, jam modò ad cælos transitum facit, ipsa quoque cælum existens. Cæterum Apostoli velut alarum remigio in nubibus vecti, & tanquam Verbi Divini Aquilæ quædam altivolantes, uno repenti cætu, abituræ Virgini supervenerunt, quos tu ô Domina, veluti Filius Filij tui benedictione profecuta es. At illi: Vale Thesaure exclamabant, in quo Divini foederis Manna repositum fuit, vale ô Gloria Christianorum. Simul his dictis totus Apostolorum chorus tam subito à finibus terræ collectus in lacrymas solvitur, simul ingens admiratio, ac veluti extrasis Mistas hosce Verbi Divini oppressit, dum ipsius vocis Genitricem mortuam & omni voce privatam aspiciunt. *Germ. Constantinop. orat. de dormit.* Lumen illud Hierosolymorum Apostoli accesserunt, ad te ô Deipara, sicut & Abacuc Propheta è partibus Osirhoenæ unius horæ spatio per nubes raptus &c. qui postquam apud Virginem steterunt ait *Pelbartus Stellarij cap. 10. part. 5. art. 1.* in hunc modum salutârunt; Ave Dei Mater gratiâ plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. At ipsa: Avete Discipuli Unigeniti Filij mei. Sed Apostoli ut *Uamase. orat. 2. de Assumpt.* cum alijs fidelibus qui aderant. Mane nobiscum quæ es nostra Consolatio, quæ es nobis unicum in terra Solatium, nè nos relinquant orphanos, quæ es Mater misericordiæ: venientem in periculum habeamus te, laborum requiem, & sudorum refrigerationem. Tibi enim est ma-

nere volenti potestas, in promptu est, & abire constituti nemo est, qui impedimentum afferat. Si abis ô Dei Arca, unâ quoque nobis qui populus tuus, ob Filium tuum vocati sumus, abire liceat. Tu sola nobis in terra Consolatio relicta es, & te vivente, simul vivere, & te moriente simul mori beatum est. Quid autem dicimus? tibi enim mors quoque ipsa vita est, at vita præstantior, atque hanc vitam incomparabiliter antecellens, nobis autem quæ tandem vita esse queat tua consuetudine orbatis? Tum S. Virgo ut est apud *Metaphr. orat. de vita & obitu P. M.* Vos valete Filij, meum autem discessum hinc, non luctu, sed lætitiâ potius prosequimini, quâdoquidem vobis est persuasum, nos pergere ad gaudium, vel ut apud *Amed. raptu 8.* Ad Genitorem Genitrix pergo, à vobis Filioli hodie discedo corpore nunc vos dimitto, & animo non derelinquo, panem sanctum pariter frangamus, carnem Filij mei simul comedamus. Postquam verò finita est sancta communio, dixit eadem Virgo: Ecce cibum accepistis, non esurietis, neq; sitietis, quousque me sepelietis, & in cœlum ascendere me videbitis. Meum corpus in medio vallis Josaphat sepelire. Benedicat vobis omnibus Deus Pater, benedicat vos Deus Filius, & benedicat vos Spiritus S. *Damasc. l. c.* Cùm autem ad excessum è vita properantem, ejus cupiditate flagrantem Dei Genitricem conspexissent Apostoli: tum denique ad ea, quæ ad exitum pertinent, sese converterunt: floridamque ei, ac multiplicem sanctorum hymnorum corollam texuerunt, Dei potentiam, sapientiam, bonitatem, in ipsa laudantes. *Pelbartus Stell. lib. 10. p. 5. a. 1. ex Cosma* putant quòd dixerint illam antiphonam. *Ave Regina cœlorum. Menæ 15. Aug. ex Anonymo in Vesperis minoribus.* Quàm tremendæ venerationis fuerunt hæc cantica, ô Virgo! quæ præsentârunt tibi, lectulum tuum per orbem circumstantes Apostoli! quippè admirabundi, hæc omninò verba cantârunt. Nunc à nobis proficitur Palatium Regis æterni, in altum quoque deportatur sanctificationis Arca. Elevamini jam portæ cœlorum, per vos enim ingreditur modò Numinis Porta cum gaudio, ad misericordiæ Divinæ magnitudinem pro mundo sine fine poscendam. Sed tamen ut scripsit S. *Joannes Damascenus receptus in Men. 15. Aug. ode 5.* Vas electionis (Paulus) super omnes collegas tum excelluit hymnis abeunti tibi canendis, ô Virgo! tunc quippe totus Paulus in hac re una erat absorptus, velut animo extra se raptus, totus in te laudanda Numini dedicatus, fervebat simul hoc in negotio afflatu Divinissimo præditus, & reverâ tum fuit, & ab omnibus tum illic præsentibus, ut talis agnoscebarur.

Jam ergò cum *Græca Ecclesia ex S. Sabba 14. Augusti in Vesperis canemus: Refo-*
nemus in cymbalis, & jubilemus in canticis festum excedentis è Vita Virginis,

Tr 2

cum

cum præparatione quadam inchoantes, unaque sepulchralia cantica modulemur, cum gaudio vocibus sonoris utentes: quippe Genitrix Dei, & illa Virginis Arca, undique aurea nunc jam accingitur, ut à terrenis ad Cœlestia transeat, alium nimirum ad alterius vitæ claritatem Divinam transfertur. *Et quod ibid. ex eod. subdit.* Apostolorum chorus per inopinatum prodigium collectus est è finibus terræ, nam Dei super res omnes creatas dominantis, animata, & Regia Civitas proficiet jam nunc ad vitam meliorem festinat, ut nimirum Regina cum Filio suo gloriotas placidæ choreas concelebrat: ad cuius modò exequias Divinâ voluptate refertas locuto cum superis legionibus plausu, itinerantium quæso hymnum cantate. Sacerdotum ô cœtus! unaque Reges, & Principes, cum agminibus Virginum, adeste nunc maturè populi, denique omnes concurrite, ut odam sepulchralem unanimitate in coelum mittatis, nam rerum omnium Domina paulò post animam suam in manus filij tradet, ad sempiternam in coelos ædem translata. Tandem omnibus quæ aliorum curæ commendata volebat, *inquiunt Menæ 15. Aug.* expositis, denuò procumbit in lectum, & universa purissimi corporis membra, ad suæ modeltæ votum componit: addit subindè preces ad Deum pro felici statu mundi, proque pacifica vita mortalium: mox benedictionem adstantibus abundantem imperat, unaque spiritum suum in manus Filij Dei que sui resignat. *Addit Niceph. bish. lib. 2. cap. 22.* Sub hæc vis lachrymarum ingens ex oculis profluit, orbitatem suam migratione illius complorantium quos suaviter consolans, unicuique quæ optaret precatur, benedictione omnes dignatur, & extremis illis vocibus valedicens, compellat, migrationemque suam non luctu eos, sed potius gaudio proficere jubet, & quæ ad exequias sepulturamque ejus pertinerent, suaviter & late exponit. *Metaphrastes vero oratione supra citata.* Cùm rursus dixisset. Fiat mihi secundum verbum tuum; emittit tanquam in somno spiritum, & eam in amicis Filij manibus deponit, *quod ipsum SS. Virgo narravit Sanctæ Brigittæ lib. 4. Revel. cap. 23.* Ego quasi obdormivi in separatione animæ, & corporis, & evigilavi in gaudio perpetuo. Circa tēpus obdormitionis adnotat *Niceph. lib. 2. cap. 21.* Eo tempore quo Claudius quintum imperaret annū, & immaculatā Dei Matrem obire oportebat (quandoquidem & Filius ejus verum se hominem probans atque confirmans ad grandiorē expletæ senectutis ætatē non pervenit) undè sexagesimū illa agēs annū, natiū à Filio per Angelum de migratione, & adventu ad se, ejus, ita ut antea cum ipse ad eam venturus fuerat, accipit: itaque migratione sua in hunc modum cognitā, immensā repletur lætitiā. Quid enim dulcius ei, quàm ut cum Filio, & Rege suo ellet, contingeret? *S. Meliton narrat:* Postquam Virgo obdormivit, ceperunt illud

Illud sanctum corpus osculis venerari. Sed expressius *Damasc. de dormit. Vlg.* Qui aderant metu, & desiderio, & lachrymis exultationis, Divinissimum & sanctissimum Tabernaculum circumfilitentes, complectebantur, osculabantur. Et *Metaphr.* Cum in Orbem sanctum Virginis corpus circumdedisset Apostolorum chorus, & quodquid erat electum ex viris & mulieribus, omnia membra reverenter amplexabantur, non solum suum ostendentes desiderium, sed vel ex tactu credentes percipere utilitatem.

Sed ad eundem locum Memoriam quem reliquimus redeamus. Tum vero quasi aperta miraculis Porta. Illuminari incipiunt caeci, audire surdi, rectis incedere gressibus claudi, ac denique genus omne morborum inopinata felicitate salvari, inter haec mira, psalmodiam educendo funeri aptam inchoat Petrus; & Apostolorum alij, Virginis lectulum portant in humeris, alij cum lampadibus, & hymnorum cantu praecedunt, ut corpus illud, quod Deus incoluit, cum pompa deducant, tunc certe, tunc & Angeli suas de caelo voces dedere, ordinumque caelestium modulis, aer id loci totus personuit. *Similia narrat Latina Ecclesia loco citato.* Viso sacro corpore, placuit omnibus, prout (ex collectis Divinitus) quisque poterat, hymnis celebrare infinitam potentiae Divinae bonitatem. Et paulo ante. Audita est psalmodia caelestium potestatum, & sic cum Divina gloria in manus Dei suam tradidit animam: ejus autem Corpus quod Deum ineffabili quadam ratione suscepit, cum Angelica, & Apostolica hymnodia elatum. Meminit & facum ab Apostolis deportatarum. *Nicephorus hist. cap. 22.* Sed *Graecam* rursus audiamus *15. Augusti.* Quibus omnino signis irritati Judaeorum Principes, concitarunt quosdam de plebe, ut lecticam, in qua corpus, origo ipsius vitae quondam jacebat, evertere, humi; affligere conarentur: at vero Numinis vindicta sacrilegas audacium manus praevertit, omnesque tanto facinori perpetrando intentos, oculorum caecitate mutavit, unum autem istorum summam furentem insaniam, & jam ipsas sacrosancto lectulo manus injicientem, dextra non minus, quam sinistra privavit, quas tantae insolentiae conscias, per ultionis Divinae gladium suo sibi malo reus ipso momento abscissas, deque feretro suspensas reliquit, miserabile cunctis spectaculum factas, quoad toto corde Religionem Christianam amplexus, impetrato tanti mali remedio, integritati pristinae redditus fuit. Sic & reliquis caecitate percussis, ubi post fidem Christi susceptam, pars pallij quo tegebatur lectica adnota fuisset, repentino Virginis dono, antiqua incolumitas rediit. *Mena. 15. Augusti ex S. Sabba haec subjiciunt.* Tum o rem miram! & omni expectationi hominum contrariam! Virgo, Fons vitae, reponitur in tumulo: caeterum eminentissimae caelo-

rum virtutes, cum Domino suo in terras delapsæ, illud Dei hospitio nobile & tam natisimum corpus susceperunt, deducendum ad cœlos: illudque reverenti singulari portantes, summa cum magnificentia, iter fecerunt; & ad residuos supra cœlitum ordines, in hos identidem modulos ora laxârunt. Jam tandem illam omnium nostrum Regina, quæ est singularis Dei Filia, in cœlum adventat. Attolite portas, atq; istam Luminis æterni Genitricem admittite: per hanc enim Dominus noster omnigena mortalium Salus nasci voluit, in quem ipsum nemo nobis obtutum defigere valet, & hujus Matri dignas ut grates referamus, hinc non potest: ejus enim meritorum excessus, omnem creatam cogitandi facultatem longissimè superat. Atque hic jure meretur locum monitum *Eckij* *br. 4. de Assumpt.* Non igitur pingi illa debet habitu & facie ægrotantis decumbens, sed ita sicut inter manus Apostolorum tradidit spiritum. *Ellichtovens* vero addit *de Assumpt. ejusdem cap. 6.* Quia potius crediderim tam sanctam Virginem, tunc admirandâ perfulam dulcedine spiritûs, & gaudio inenarrabili sanctissimum suum spiritum Deo reddidisse inter psalmos, & cantica adstantium spiritualia Apostolorum, inter harmonias, laudes, & cantus cœlestium spirituum, neque easdem decubuisse lecto, more ægrotantium, & qui morbo pressi hanc claudunt vitam putem; cum neque infirmitate vexata credi potius debeat, neque debilitate prostrata. Similia habet *Molanus lib. 3. hist. sacrarum Imaginum cap. 32.*

Sed hic cum *Græca Ecclesia 14. Augusti ex Anonymo* exclamemus. O novam peregrinationem miraculi planè monitrosi! nam quomodò vitam parturient Virgo sustinet mortem, tumuloque reconditur? nihilo seriùs universa terrarum multitudo per choros exulter, nunc enim quilibet recogitet animo, istam omnino Virginis lectulum choris Apostolorum circumdatum, qui proficiscentibus solito plausu beatam Virgini egressum gratulantur. Exclamemus & cum *S. Josepho Confessore 14. Augusti, ode 1. & 3.* Salve ò ad ipsos usque fines terrarum omnibus per tuam obdormitionem largita! Quippe cœlum & terra prope transitum hunc tuum lætantur, quia inexpectatum conjunctionis mutæ vinculum, per tua in cœlis patrocina consequuntur. Tu quoque ipsa perfectionem istam magnis gressibus accelerabas, ut tantò citiùs gloriosi nunc Filij tui pulchritudinem cerneret, atque mirâ ejus amœnitatem fruereris. *At vero idem S. Josephus 14. Aug. ode 3. & 6. dixerat.* Cum te è terris avectam susciperent Angeli, miris accesserunt lætitijs: & quæ nam ista, inquirebant, quæ ascendit è convallibus mundi? quæ nam hæc tam incognita nobis deductio pompæ, quæ de terra in cœlum usque procedit? quàm est immensum illud mysterium, quod intuemur nunc jam!

jam? nimirum ascendit modò nostra omnium Regina, Decus & Domina. In Di-
urno Græcorum inventam vocem *Panagia*, Græks. in *Europal.* cum exponit, refert
illam ad Virginem quam tertio post obitum die, visam ab Apostolis meminit. In
quam rem facit *Horologium Græcorum*, quod in hunc sensû ait. Apostoli post Christi
resurrectionem mensâ communi uti soliti, relinquebant locum vacuum pro Chri-
sto, & partem panis, quam mox frangebant, ac singulis distribuiebant, idem facie-
bant Christo in cælum digressò, additâ prece: Domine Jesu Christe adjuva nos.
Ilem continuârunt de sanctâ Virgine, & ecce die tertia dum idem faciunt Virgo
illis inter lucidissimas nubes apparet, & salutat: *Avete, ego vobiscum sum omnibus*
diebus. Responderunt Apostoli *Panagia* (hoc est omni modo sancta) *adjuva nos Dei-*
paris. Deinde ad sepulchrum Deiparæ digressi, corpus ampliùs non invenerunt.
Quos hymnos Virgini cecinerint Apostoli difficile est assequi, eos tamen in hunc
sensum proponit *Andr. C. et. orat. 2. de dormit B. V.* Hæc est Finis testamentorum,
quæ fecit Deus: hæc est Declaratio occultorum ac profundorum Divinæ incom-
prehensibilitatis, hæc est Scopus, qui excogitatus fuit ante sæcula, hæc est Sum-
ma Divinorum oraculorum, hæc est ineffabile, & quod planè cognosci non potest
ejus quæ est ante principium curationis hominum Consilium, Primitiæ commu-
nionis & conjunctionis, omnium Genitoris Dei cum suo figmento, hæc est Divi-
narum reconciliationum, quæ pignore dato fit fidejussio, eximia Pulchritudo, à
Deo sculpta Statua, rectè descripta Divini Archetypi Imago, totius contemplati-
onis, & ascensûs Sustentaculum, sanctissimi Verbi omnium Creatoris Taberna-
culum, quæ Deum suscepit, Sapientiæ, quæ non potest exinaniri, Crater, vitæ cui
nihil potest auferri, Penarium, Fons qui non potest exhauriri Divinarum illumi-
nationum, Potentia quæ nequit labefactari, quatenus nequaquam vincebatur ab
animi perturbationibus, ut quæ erat puritate omnibus superior, per hanc fuere
nobis data pignora salutis &c. O Filia Adam! O Mater Dei! ô Mater sine viro! &
Virgo quæ Filium parit, ô Opus ejus qui in te factus est temporaliter! & non exces-
sit à sua æternitate, de te resonârunt omnes Spiritus S. Interpretes &c. Quod nã
sepulchrum te teget? quæ nam terra te accipiet? quæ cœli & cœlorum naturam
superâsti sanctitate? Tu verè es, quæ es revera pulchra, & macula non est in te &c.
Tu es nova Theca vnguenti, quod minimè exinanitur, tu es olei vñctionis Exul-
tatio, tu es aromatum quæ intelligentiâ apprehenduntur, Suffitus, tu es Flos in-
corruptionis, Terra quæ fert aromata, Lucerna luminosa &c. Prosequamur
reliqua cum *Ecclesia orientali, ex S. Sabba 15. Augusti.* Cæterùm Apostoli pompâ fu-
neris ad locum Gethsemani dictum, perductâ, illud mortuum corpus, è quo Vita
progenita:

progenita fuit, humârunt id loci, triduoq; ibi hæserunt, a sidiuis canentium, ab loci, Angelorum delitijs audiendis defixi. Quoniam verò dispositione Divina de Apostolorum collegio vnus ab ipso funere absens, tertio primùm die aduentu ægro ille animo tulit, coepitq; pudore suffundi, quòd non eadem tanti spectaculi felicitate, vt cæteri sui collegæ, potitus fuisset: quare alii nè carissimi sodales desiderium videretur negligere, Virginalè sepulchrum consensu aperiuunt, vt loca scilicet, huius sacratissimi, & omnium intaminatissimi Tabernaculi, pie adorandi copiam facerent: sed illos vel primus monumenti reuerti conspectus, in certissimè propè coniecit; nam ablato Virginis corpore, nihil nisi siudonem conspiciunt, quæ simul & solatio foret, in tanti thesauri iactura, & Virginèi corporis ad cœlos translati certissimo apud omnes Christianos argumento: nam & nunc certissimè illud in petra sepulchrum, magna cum veneratione spectatur, quòd in gloriam, & honorem Dominæ nostræ, & super omnes creaturas benedicet, hodieq; vacuum spectatur.

Eadem habet & latina Ecclesia in suo Breviario infra Octau. Assumpt. Eius corpus in loculo fuit depositum Gethsemani; quo loco Angelorum cantus multos dies continuos: post tres autem dies Angelico cantu cessante, qui aderant Apostoli (cùm vnus Thomas qui absuerat post tertium diem venisset, & quòd Deum susceperat corpus adorare voluisset) tumultum aperuerunt, sed ex omni parte corpus eius sacrum nequaquam inuenire potuerunt; cùm ea autem tantum inuenissent, in quibus fuerat compositum, & ineffabili, qui ex ijs proficiscebatur odore essent repleti, loculum clauerunt. Eius mysterij obstupefacti miraculo, hoc solum cogitare potuerunt, quòd cui placuit ex Maria Virgine carnem sumere, & hominem fieri, & nasci cùm Deus esset Verbum, & Dominus gloriae, quique post partum, ejus incorruptam seruavit Virginitatem, eidem etiam placuit, & ipsius, postquam migravit immaculatum corpus, incorruptum seruatum, translatione honorare, ante communem, & universalem Resurrectionem.

Et Lect. 5. in festo. Non in terram reuerfa est, sed cùm esset animatum Cœlum in cœlestibus tabernaculis collocatur, cedit legi latæ ab eo quem genuit, vt Filia veteris Adam, veterem subiit sententiam: vt autem Dei viventis Mater ad illum ipsum dignè assumitur. *Et versiculo ante Evangelium ibid.* Maria Virgo assumpta est ad ætherium thalamum in quo Rex Regum stellato sedet folio. *Damas. ad 1. de Dormit. B. V.* Incorruptionem ejus post mortem ita adstruit: Cujus in partu incolumis Virginitas mansit, eadem è vita migrante corpus ita conseruatum est, & non dissolutum, sed ad præstantiorem, & Diviniorem vitam, quæque jam morte

morte non interrumpitur, verum in infinita sæculorum sæcula perduret, translatum est. Accinamus jam hic verbis quæ S. Joseph Confess. 2. Jul. od. 8. & 9. reliquit. Sacre reliquiarum tuarum contactu indignos famulos tuos non omnino privandos putasti, ô Virgo! nam loco vivifici corporis tui, vestimenta saltem tua omnibus veneranda, mirifice reliquisti: jamque in istis religiose colendis, tanti se nobis gaudij collegas ostendunt virtutum omnes coelestium chori, Prophete item, ac Martyres, univèrsa denique Sanctorum multitudo, atque iustorum. Et 13. Aug. ode 7. Tumulus ille Divinus corpore tuo quidem vacuus manet, miraculorum tamen gratia scateret: nam medicinarum nobis flumina pandit, malorum autem torrentes suffocat.

Convoceamus ad hanc celebritatem cum S. Teophane in Men. 15. Aug. in majoribus Vesperis univèrsos. Adeste totam celebritatem istam colentium multitudo, adeste ut nobiscum sacra instituatis tripudia, adeste ut fertis canticorum coronemus Ecclesiam, propter Arcam Dei in æterna tandem sede collocatam. Jana omne cœlum totos expandit sinus ad excipiendâ Puerperam capacem Dei omnibus hucusque coelis incomprehensibilem, sed terra hunc vitam restituens Fontem Deo, benedictione vel amictu, tota contegitur; item Angeli cum Apostolis in unum chorum collecti, oculis sacrâ veneratione defixis intuentur transeuntem de vita in vitam, Matrem illius, qui Auctor est vitæ. Admiratur hic Romana Ecclesia in Respons. lect. 3. Noctur. 1. de hoc festo. Quæ est ista quæ processit sicut sol, & formosa tanquam Jerusalem? viderunt eam Filia Syon & beatam dixerunt, & Regina latidaverunt eam, & sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. Lect. vero 4. de festo hoc pompam Assumptionis in hunc modum describit, David exultat ejus Parens, & cum eo choros ducunt Angeli, celebrant Archangeli, Virtutes glorificant. Principatus exultant, Potestates collatantur, gaudent Dominationes, Throni festum diem agunt, laudant Cherubim, gloriam ejus prædicant Seraphim. Et die 5. infra Octav. lect. 5. ex S. Bernardo serm. 1. de Assumpt. Sed illud quis cogitare sufficiat quàm gloriosa hodie Regina mundi processerit, & quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium legionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta? quàm placido vultu, quàm serenâ facie: quàm Divinis amplexibus suscepta sit à Filio & super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit cum ea gloria quæ tantum Filium decuit? Sed hic quiddam mirum accidit, si Amedeo fidem damus, rapta 8. E sepulchro ad Apostolos regressa S. Virginis anima, Apostolis sole fulgentior comparuit, eosque allocuta. Ubi multa more suo Amedeo ostensa sibi.

sibi, & à se audita narrat. Sed hanc ipsam Virginis apparitionem ex *Græcorum Horologio* describit *Laur. Lantmeter lib. 2. cap. 46.* Post Christi resurrectionem ac Spiritus S. descensum, Apostoli vivebant in commune, hi dabant locum vacuum in mensa Christo, eamque sternebant, ac fragmentum panis apponebant: hoc idem cum fecissent post mortem S. Virginis, Christo panem seponendo, quæ mortua fuerat viventis instar nubibus & lucidissimis choris circumdata in sublimi apparebat. Ave, inquit ego vobiscum sum omnibus diebus. Apostoli autem miraculo obstupefacti, (*loco ejus Domine Jesu Christe Orationis consuetæ*) exclamant *Panagia* suavissima Deipara adjuva nos. Oremus Virginem. *cum Græca Ecclesia voce S. Sabbe 15. ante matutinas.* Cum ad quietem æternam transires, à te mundus tamen desertus non est, quippe tuis apud DEUM patrocinijs nostras nihilominus animas liberare non desinis: proinde nobis suppedita vires, ut ab omni posthac jejunemus nequitia. Miremur cum *S. Damasceno 15. Aug. odo. 8. et 9.* O ingentia Deiparæ miracula, quorum magnitudinem nullius ingenij acies penetrat! quippe Dei Mater sepulta, paradysum fecit ex sepulchro. Venite Christiani, ac simul omnes ad Virginis tumulum curramus, illudque monumentum omni pietate complexi, ejusdem contactu corda nostra, labia, frontem, oculos, affectu sincero teramus: sicque hauriemus inde abundantes gratiarum ac remediorum divitias ex Maria, ut scaturigine sempiterna manantes.

Sed cujus Verbis sumus exoristi ejusdem claudamus narrationem. *S. Bernardus in Breviario Romano in Octavam Assumpt. lect. 6.* Ecce jam quibus potuimus votis ascendente te ad Filium deduximus, & prosecuti sumus, saltem à longe Virgo Benedicta. Sit pietatis tuæ ipsam, quam apud Deum gratiam invenisti notam facere mundo: reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium, & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die solemnitatis, & lætitiæ, dulcissimum Mariæ nomen invocantibus servulis, per te Regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur Jesus Christus, Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula Amen.

9. Quia non solum ipsa est in cælo coronata, sed etiam ex nobis coronam sibi fecit

Ecclesia Romana in Vigilia Assumptionis orat in Missa. Munera nostra Domine apud tuam clementiam Dei Genitricis commendet oratio, quam idcirco de præterito sæculo transfulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat.

Bernard.